ruinæ, ob solam vanitatem, & vanum conciliandum amorem, levemque delectationem, non excedere culpam venialem. Quia nec delectatio, nec amor intentus eam excedunt. Ita *Nav. sum. lat. c.14. n.42. Cordub. sum. q.5. corol.2.* Atque idem dicendum est de talium verborum auditione, ob eumdem finem. Quia eadem militat ratio.

36 Nec ob id, audiens turpia cum peccato lethali dicta, de ea dem culpa damnandus erit, quod rideat, & gaudium præ se simulate ferat, carens tamen delectatione venerea: ne inurbanus habeatur, & de hypocrisis vitio noretur, ac jocosis convitiis exprobretur (quod vulgo *darle vaya* appellant.) Quoniam risus ille, & gaudium potest de artificioso, & lepido dicendi modo, ac proinde non est scandalum activum. Et ex alia parte absunt delectatio, & finis mortalis. Solumque intenditur liberari a molestia, & convitiis. At in duplici casu erit culpa lethalis. Prior est, cum persona est talis, ut risu scandalum generet: sitque risus ille quali præstare auctoritatem verbis turpibus, eaque approbare, & cohonestare. Posterior, cum ridet sibi complacens, quod existimetur turpibus deditus, ob idque laudari, & magni fieri velit. Quia gloriam de re lethali admittere, est lethale. Teste *Nav. sum. c.23. Hisp. n.15. lat. n.12.* Secus ubi eam gloriam non intendit, sed solum non sibi displicere eam auditionem, ut molestiam, convitiaque dicta evitet.

37 Tertia conclusio. Dicere turpia ob notabilem rei turpis delectationem cogitatæ, quæ cogitatione excitatur, & fovetur verbis illis, est mortale. Constat, quia illa delectatio consurgens ex re turpi apprehensa, est mortalis. Ergo a fortiori illam verbis fovere. Et in hoc casu est vera sententia relata n.32. nec credo contradicentes DD. citatos n.31. solum enim volunt non esse mortale: quando non admittitur delectatio aliqua ipsius rei turpis cogitatæ, sed delectatio sola ex verbis consurgens. Quod verum reputo. Sicut dixi de delectatione aspectus n.21. Atque idem prorsus sentiendum est, de delectatione captata ex turpibus gestibus, aut nutibus, turpiumque auditione. Erit enim mortalis, cum intenditur delectatio consurgens ex rebus ipsis turpibus cogitatis, quæ auditione illa, aut gestibus, aut nutibus fovetur. Secus autem erit venialis. Et in hoc casu verificatur quod ait *D.Th. 2.2. q.168. art.3.* nimirum, utentem in ludo turpibus verbis, vel factis, quæ de se sunt lethalia, peccati mortalis reum esse, ubi *Cajet.* animadvertit, non dixisse absolute, utentem verbis, aut factis turpibus, sed cum eo addito, quæ de se sunt lethalia: ut significet non semper id lethale esse, nisi aliunde adjungatur mortalis malitia.

39 Consulto enim dixi in conclus. Propter delectationem notabilem. Quia si modica sit, parvitas materiæ excusabit a mortali, juxta dict. n.9. ubi delectationem modicam in tactibus hac ratione a mortali excusavimus.

40 Ex his infertur 1. quamvis comœdiis intereste non sit mortale, ubi nec res turpes repræsentantur, nec modus repræsentandi est turpis: vel si hæc concurrant, audiuntur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus in aliquod peccatum mortale. At quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, audiunturque ob delectationem ex ipsis turpibus rebus consurgentem, modo exposito nu. 38. at cum probabili ruinæ periculo, esse lethale. Quod ex ibi dictis constat. Quod si roges, an saltem clerici in sacris constituti peccent mortaliter, si illis intersint ob illam solam curiositatem? Respondeo non peccare lethaliter, cessante scandalo. Quod hodie cessare credo: cum frequentissimum sit clericos, illis interesse. Nec obstat prohibitio *c.Clerici el 2. de vita, & honestat. cleric. & cap.Non oportet 2. de consecr. d.5. & cap.Præterea, d.51.* Quia si credamus *Innocent. dict. c.Clerici, num.un.* est tantum de honestate. Vel (quod verius credo) dicendum est cum *Cajet. Summ. v.Clericorum peccata, ad fin.* non obligare sub mortali, cessantibus scandalo, & contemptu.

41 Secundo infertur, componentes, aut repræsentantes comœdias, quæ res valde turpes, ac ad venerem excitantes continent, peccare mortaliter. Quia sunt multis causa ruinæ: secus autem, minime reos esse culpæ lethalis. Sic *D. Ant. 2.p. t.7. §.5. Angel. v.Ludus n.3.* ubi *Sylvest. q.3. Alcozer. l.de Ludo c.54. Mendoca, q.9. Scolast. qu.11.* addens id verum esse, licet componens vel repræsentans id non intendat. Quia ex se præbet sufficientem ruinæ causam. Et facientes turpes cantilenas plenas lasciviis, dicit merito peccare mortaliter *D.Ant. 2.p. t.5. c.1. §.8.*

42 Tertio infertur, idem dicendum esse de scribentibus, aut interpretantibus libros turpes, & plenos lasciviis, ad venerem que provocantibus. Peccant enim mortaliter. Quia eadem est ratio, ac de componentibus similes comœdias, & valde alliciunt in libris ad turpia; ut probat *Castro lib.2. de just. haret. pun. cap.5. in princ.*

43 Quarto infertur, idem prorsus dicendum esse de pingentibus turpia, ut Venerem, & Adonidem detectis pudendis, aut diaphano velo opertis. Quia hæc valde ad luxuriam provocant.

44 Quinto infertur, legere libros turpes tractantesque de obscenis amoribus ob solam vanam curiositatem, & delectationem, esse solum veniale: at si intendatur delectatio venerea consurgens ex ipsis rebus turpibus apprehensis, esse mortale. Prout explicui n.38. Et docet tunc esse mortale. *Jo. Hessels in exp sit. Decalogi præcept.6. c.15. paulo post principium.*

Tandem quando turpia dicere, aut audire, est peccatum 45
mortale ob delectationem veneream inde perceptam, fatendæ sunt circumstantiæ personarum. Ut in delectationibus tactuum dixi num.18. & in delectatione aspectuum num.30. Quia eadem est ratio. Et ita docet *Joann. Hessels nu. præc. allegatus.*

## SUMMARIUM.

*An sponsis de futuro liceant tactus. Refertur quædam opinio, num.46.*
*Non sunt mortales, modo non sint impudici, 47.*
*Quid si habeantur causa delectationis, 48.*
*Quid si subsit pollutionis periculum, 49.*
*Quando sint liciti, & quando veniales, 50.*
*An tactus impudici sint illis illiciti, 51.*
*Minime permittendi sunt soli in loco occulto sponsi de futuro, 52.*
*An liceant illis mutui aspectus, & verba, 53.*
*An quando sponsalia sunt conditionalia, & non est impleta conditio, vel personæ sunt impeditæ, & contraxerunt sub conditione, si Pontifex dispensaverit, hæc liceant illis, 54*
*Solvuntur argumenta, 55.*

QUæstio quarta. An sponsis de futuro licita sint, oscula, 46
amplexus, aliique tactus? Aliqui negant. Ducuntur primo, quia ideo solutis non licent, quia eis interdicta est copula: hæc autem similiter est prohibita sponsis de futuro. Et confirmatur, quia sunt ejusdem speciei, & malitiæ moralis cum ipsa copula (ut diximus num.7. & 18.) At copula inter eos est lethalis. Secundo, quia solum matrimon. cohonestat delectationem tactuum. Tandem, quia in humanis licet Rex injerit contractum cum aliquo de ipso in judicem promovendo: nequit hic ante adeptam officii possessionem, partem aliquam illius muneris obire. Atque ejus sentent. videtur clare *Palud. 4. d.31. quæst.3. art.2. n.17. & ibi Supplem. Gabriel quæst.unic. art.3. dub.2.* ubi dicunt, Ideo amplexus, & oscula inter solutos esse mortalia: quia inter eos copula est mortalis. Nam cum eadem ratio locum habeat in sponsis de futuro: videntur idem sentire inter eos. Et clarius videntur tenere *Cajetan. Summ. v.Impudicitia, & verb. Osculum. Sotus 4. d.34. qu.1. art.2. ad fin. vers.Ex quo fit. Angl. Florib. 2.p. qu.8. de impedimentis matrimonii, art.1. dub.9. concl.1.* ubi dicunt amplexus, & oscula esse mortalia, nisi habeantur inter matrimonio conjunctos. Et in terminis tenent *Pedraza Sum. præcept.6. §.5.* Et aliqui Neoterici docti. Et videtur sentire *Enriq. l.11. de matrim. c.19. n.4. fin.* olim fuisse licita, at modo non.

Prima conclusio sit. Oscula, & amplexus, aliique tactus 47
non impudici, excusantur a culpa mortali inter ipsos initi. Ratio est. Quoniam sicut matrim. ipsum cohonestat copulam, ita sponsalia, quæ quoddam matrimonii initium sunt, cohonestare debent hujusmodi tactus, qui inchoatio quædam sunt copulæ. Præsertim, quia sic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium. Et confirmatur, quia ex eo quod inchoatus sit matrimonii contractus per verba de futuro, data est de præsenti ex natura rei major facultas ad actiones, quæ ad copulam ordinantur. Et ideo ita docent *Aretin. conf. 142. num.8. Cajetan. Summ. verb. Sponsalitia, & 2.2. quæst. 154. art.4. post 1. dub. §.In responsione ad 2. Navar. Summ. cap.14. num.18. & c.16. num.12. Menoch. præsumpt. l.3. de præsumpt.1. num.16. Verac. append. ad 19. de conditionibus matrim. fol.118. §.Hanc opinionem. Metina l.1. sum. c.14. §. 18. fol.119. initio Valent. 2.2. disp.9. qu.3. punct.3. ad fin. §. Sentit tamen. Emm. Sa Summ. verb. Luxuria, §.Oscula & tactus. Philiare. de offic. Sacerdotis tom.1. p.2. lib.4. c.18. dub.3. Barth. a Ledes. dub.14. de matr. ad finem. Graffis 1.part. decis. l.2. cap.28. nu.3. Petr. de Led. de matrim. q. 43. ar.1. dub.ult. §.Tertio secundum Theologos. Lud. Lop. 1.p. instruct. c.54. §.peccant parentes, & c.75. §.penul.* Et favent *Tabiena v.Osculum, num.un. post medium, & Armilla verb. Impudicitia, n.2.* licet strictius loquantur, dicunt enim posse ex consuetudine excusari. Idem aperte sentiunt *Sotus 4. d.29. 2. qu.2. ar.1. ad finem vers.Hoc tamen addiderim, & Guttier. l.1. qu.canon. cap.22. n.17. fine*, ubi dicunt iis, qui contraxerunt sponsalia sub conditione si Pontifex dispensaverit, non licere amplexus, & oscula, quæ alias licent sponsis de præsenti: ubi per sponsos de præsenti minime intelligunt eos, qui matrim. contraxerunt: rem enim vanam dixisset: sed intelligunt eos, qui de præsenti contraxerunt vera, & absoluta sponsalia, amplexus enim, & oscula eis licita non permittuntur eis, qui de præsenti non sunt astricti veris sponsalibus, sed sub conditione pendente ex futuro eventu, quæ revera in præsenti sponsalia non sunt, sed talia erunt impleta conditione: & communiter omnes Neoterici hanc sent. amplectuntur.

Atque hæc conclusio vera est, quamvis sponsi intendant eam 48
delectationem sensitivam, quæ ex ipsis amplexibus, & osculis oritur. Quia sponsalia, quæ matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem, quæ copulæ inchoatio est: & in omnino solutis esset culpa mortalis. Sic *Cajet. utroque loco. Nav. utroque loco. Lud.Lop. utroque loco, Philiar.Petr. a Led. Bart. a Led. n.præced. allegati.*

Est tamen moderanda conclusio, dummodo non ad sit 49
periculum copulæ, vel consensus in eam, aut pollutionis. Tunc enim essent ii tactus, peccatum lethale. Sic *Nav.sum. c.16. nu.12. Lud. Lop. 1.p. instruct. cap.75. §.penult. Valent. Philiare. Emm. Sa, Metina, Graffis n.48. allegati.* Et quando est periculum copulæ, aut consensus in eam, constat. Quia ea sunt mortalia. Et quando est periculum pollutionis, constat etiam. Quia amplexus, & oscula magis licita sunt ipsis conjugaris, in quibus tamen efficiuntur mortalia ratione periculi pollutionis prævisæ, ut dixi disp. præced. n.34. Et quamvis ibi num.38. dixerim excusari a mortali, quando habentur inter conjuges in signum benevolentiæ, & ad mutuum conciliandum amorem. At inter sponsos de futuro strictius loquendum existimo. Quia necessitas in eo eventu excusat (ut ibi probavimus.) Quæ tamen non ita urget inter sponsos de futuro: imo valde expedit, ut mutuum aspectum fugiant, abstineantque ab illis tactibus, quo periculum admittendi multa mortalia caveant. Si tamen in eas angustias inciderent, ut inurbani, & austeri haberentur, nisi se amplexarentur, necessitas illa excusaret a periculo pollutionis prævisæ, & a culpa lethali, ob rationes eodem nu. 38. allatas.

50 Secunda conclusio. Amplexus, & oscula habita inter sponsos de futuro, in signum benevolentiæ, & ad conciliandum, fovendumque mutuum amorem in ordine ad matrimon. contrahendum, licita sunt omnino. Quia finis est honestus. Si vero finis sit delectatio, erunt culpa venialis. Quia etiam inter conjugatos sunt similis culpæ, quando propter eum finem habentur (ut diximus disp.44. num.9.) Ita *Cajet. utroque loco, & Barth. a Ledesma relati num.48.* Unde dum *Aret. Navarr. Menoch. Metina, Valent. Petr. de Ledesma, Philiar. Ludov. Lopez n.48. allegati*, dicunt hos tactus esse licitos sponsis: intelligunt non esse mortales, quales essent inter omnino solutos: & posse excusari a veniali, si debitus adsit finis.

51 Tertia conclusio. Tactus impudici nullatenus sunt liciti sponsis de futuro. Quia proximiores sunt copulæ, ac proinde illis solis licent, quibus ipsa copula conjugalis est permissa. Sic *Cajet. utroque loco. Navarr. Summ. cap.16. num.13. & cap.14. nu.18. Ludov. Lopez utroque loco. Graffis, Bartol. a Ledesma, Petr. a Ledesma num.48. citati.* Et merito dicit *Navarr. eo cap.14. numer.18.* esse peccatum mortale. Quia materia est gravis. Quamvis *Cajetan. Summ. ver.Sponsalitia*, latius videatur loqui. Dicit enim hos tactus inter sponsos de futuro esse mortales, in casibus, in quibus inter conjuges tales essent.

52 Hinc infertur, non permittendos solos esse sponsos de futuro. Tum propter periculum tactuum impudicorum. Tum etiam ob ipsius copulæ periculum. Sic *Navarr. Summ. c.14. numer. 18. & cap. 16. numer. 12. Ludov. Lopez 1.part. instruct. cap.54. §.Peccant parentes. Valentia, & Graff. num. 48. allegati.*

Secundo infertur, similiter licere sponsis de futuro aspectus, & colloquia mutua. Quod docent *Navar. Summ. cap.16. n. 12. & Graff. num.48. relatus.* Et addit *Navar.* licere frui voluptate, quæ inde nascitur, seclusa pollutionis consensusve in copulam periculo. Si quidem tactus licent cum ea voluptate (ut probavimus num.48.) Intellige tamen licere: idest, excusari a mortali, & a veniali, si adsit finis honestus. Nam si voluptas sit finis, erunt culpa venialis, ut de tactibus dixi num.50. Intellige etiam, modo aspectus non sit valde impudicus, ut partium verendarum. Sicut n.51. dixi de simili tactu, propter eamdem rationem.

53 Quando autem sponsalia sunt conditionalia, & nondum impleta est conditio: vel personæ impeditæ, ut consanguineæ, contraxerunt sub conditione, si Pontifex dispensarit, & impetrata est dispensatio: num liceant his tactus, & aspectus, sicut aliis sponsis de futuro? diximus lib.5. disp.5. num.38. 39. & 40.

54 Tandem resp. ad arg. n.46. proposita. Ad 1. dic, non esse eam rationem adæquatam. Sed quia nullo vinculo matrimonii, aut sponsalium, quod eos tactus cohonestet, inter se colligati sunt: ac proinde sicut illis copula, & illius inchoatio interdicta sunt, ita & hi tactus. Ad confirm. dic, inter omnino solutos esse ejusdem malitiæ cum copula, ad quam ordinantur. Quia inter eos nulla est ratio cohonestans. At inter sponsos de futuro non habent eamdem malitiam copulæ inter eos subsecutæ. Quia est vinculum sufficiens inter illos ad tactus illos honestandos: non autem ad excusandam a culpa copulam. Ad 2. negandum est antecedens, ut constat ex dictis num.46. Ad ultimum dic, disparem esse rationem. Quia in aliis contractibus nullus invenitur usus, qui plenum rei dominium non supponat: vel voluntatem, & consensum veri domini. At in matrimonio invenitur delectatio prævia delectationi copulæ conjugalis, quæ est quasi illius inchoatio: & ita, ut ea licita sit, non desideratur plenum dominium, quale per matrimon. traditur: sed satis est inchoatio quædam illius per contractum sponsalium acquisita.





## DISPUTATIO XLVII.

Utrum sponsis de futuro liceat delectatio captata ex futuræ copulæ conjugalis cogitatione? Et conjugibus viduis effectis an liceat captata ex copulæ tempore matrimonii habitæ cogitatione?

## SUMMARIUM.

*Liciti sunt omnes actus voluntatis, ut delectationis, gaudii, desiderii circa copulam futuram, vel præteritam, habitam, vel habendam tempore conjugii, n.1.*
*An liceat delectatio sensualis de copula habenda tempore conjugii nondum conjugatis. Vel de eo tempore habitò jam viduis. Refertur duplex sententia, 2. & 3.*
*Non licet ea delectatio nondum coniugalis, 4.*
*Nec licet habita delectatio sub conditione conjugii, 5.*
*Licet ea delectatio in cogitatione tactuum, sponsis de futuro, 6.*
*Non licet viduæ ea delectatio in cogitatione copulæ præteritæ, 7.*
*Solvuntur argumenta, 8.*

HAc in re constat apud omnes, licitos esse omnes actus 1
voluptatis circa futuram tempore conjugii, vel præteritam eodem tempore copulam. Ut licet gaudere de habita, vel habenda, ac illam desiderare. Quia omnes hi actus habent objectum licitum, nullamque delectationem veneream in præsenti ponunt.

Tota autem difficultas eo pertinet. An licita sit talis dele- 2
ctatio appetitus sensitivi, quæ consurgit ex cogitatione copulæ habendæ tempore conjugii, vel habitæ eodem tempore illis, qui tunc matrimonio juncti non sunt? Et quidem circa copulam futuram, aliqui opinantur non mortale, ei qui sperat se aliquam ducturum uxorem, delectari in appetitu sensitivo in cogitatione copulæ tempore matrimonii habendæ, dummodo absit periculum pollutionis, & consensus in aliquod peccatum mortale. Probatur, quia ea delectatio est de objecto licito. Talis autem est delectatio, quale objectum: teste *Aristotele 10. Ethic.* Secundo, quia ideo licet conjugibus delectatio appetitus sensitivi consurgens ex cogitatione copulæ præteritæ, aut futuræ: (ut diximus disp.44. num.3.) quod sit delectatio de copula licita. Tertio, quia licitum est mihi delectari de distributione pecuniæ alienæ, pro tempore quo mea est futura, vel sub conditione, si esset mea. Ideo hanc sententiam tenent *Victoria*, quem refert, & sequitur *Metina 1.2. qu.74. nu.8. dub.3. & ibi Zumel disp.4 dub.3.* & quidam Neoterici (ut refert *Corduba in suo quæstionar. l.1. qu. 23. dub.13.*) Et ipse clare sentit eam esse probabilem. Nam oppositam tantum appellat tutiorem, & forte veriorem. Dicit autem *Zumel* esse veniale sic delectari. Quia desideratur necessitas, vel pietas.

Rursus circa copulam habitam tempore licito, aliqui opi- 3
nantur non esse mortale in viduis, delectationem appetitus sensitivi captare, quæ procedit ex cogitatione copulæ tempore conjugii habitæ: dummodo absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam præsentem. Probant primo, quia objectum est licitum, nempe, copula tempore conjugii habita. Secundo, quia plus videtur esse approbare illam copulam, quam de illa delectari. Illud autem manifeste licet. Tertio, quia differentiæ temporum speciem moralem minime variant. Cum ergo liceat conjugibus delectari in copula præsenti cogitata, licebit similiter viduis in præterita. Cum utraque licita sit, & sola differentia temporis præsentis, vel præteriti inter illas reperiatur. Quarto, quia nemo damnaret judicem, qui delectaretur in occisione justa latronis a se facta, vel facienda. Ideo hanc sententiam tuentur *Cajetan. opusc. tom.1. tr.14. de delectat. morosa, dub.2. Et Summ. v. Delectatio, §.secundum an delectatio*, ubi *Rosella nu.3. Sylvest. qu.3. Armilla n.3. Angl. v.Cogitatio, nu.3.* ubi *Tabien. quæst.7. numer.8. Viguer.* licet subobscure *lib. instr. cap.3. §. 5. vers.5. fin. Margar. confessorum tract. de luxuria, fol.110. Pedraza Summ. præcept.9. §.En todos los mandamientos, in fine. Niva Summ. t.105. Valent. 1.2. disput.6. qu.4. punct.4. Metina 1.2. quæst.74. art.8. dub.2. Et ibi Zumel, disput.4. dub.3. Emmanuel Sa Summ. verb. Luxuria. §. Delectatio de peccato.* Temperant autem *Rosella, Angel. Sylv. Tabien. Armilla, Margarita, Metina, Zumel, Emmanuel Sa*, nisi viduus conjux cogitet alterum conjugem quasi præsentem, & in copula sic cogitata delectetur. Quia illud est delectari de copula præsenti, quæ illicita est. Insuper *Cajet. Metina, Valentia, Zumel*, prædictas viduorum delectationes non vacare culpa veniali. Quia non adest necessitas, vel pietas ad eas captandas inducens.

Prima conclusio sit. Peccatum lethale est, captare delecta- 4
tionem appetitus sensitivi, nondum conjugatos, in copula futura tempore matrimonii cogitata. Quoniam ille actus appetitus sensitivi semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem, cum præsenti commotione, ad illamque ordinatur, & est quædam ipsius inchoatio. At copula præsens solis conjugatis licita est. Et confirm. qua sicut externa delectatio venerea, quam constans matrimonium minime honestat, est mortalis: ita interna, quæ ejusdem rationis est. Nec ejus malitia, aut

bonitas æstimandi sunt ex copula præterita, aut futura, sed ex præsenti ad quam tendit. Et ita docent *Navar. sum. c.17. lat. a.9. hisp. n.10.* & *c. Si cui, de pœnitentia, d.1. num.1. Graffis l.p decisionem, l.2. c.78. nu.9. Lud. Lop. 1.p. instr. c.75. §.Sed majus dubium,* & *seq. Manuel 1.t. sum. 2.edit. c.212. nu.3. Vega 1.t. summ. 2.edit. c.81. casu 2.* ubi dicunt esse mortale delectari de copula cogitata, quando erit matrimonium. Et in ipsis sponsis de futuro tenent expresse *Cord. l.1. quæstionar. q.23. dub.13. Vasq. 1.2. q.74. art.8. disp.114. nu.3.* & *seqq.* & communiter Neoterici. Et a fortiori idem tenent Doctores quos disp.41. n.2. retuli, asserentes etiam in conjugatis, dum copulari commode nequeunt, esse mortale delectari de copula cogitata.

5 Hinc infertur, a fortiori esse mortale delectari in appetitu sensitivo, de copula cogitata sub conditione, si adesset matrimon. Constat ex rationibus num. præced. allatis. Præterea, quia quamvis consensus, & desiderium ferantur in actum sub conditione, & proinde licitum sit in eum actum consentire, illumque deliberare, sub conditione matrimon. at delectatio illi præsens appetitus sensitivi non potest ferri in actum sub conditione, sed in actum præsentem, ut talem apprehensum. Ita docent *Cajet. opusc. t.1. tr.14. de delect. morosa, dub.1. Et summ. verb. Delectatio, §. Secundum, an delectatio*: ubi *Armilla num.4. Navarr. Graffis, Manuel num.præced. allegati. Corduba in quæstionar. lib.1. q.23. dub.13. Nider sum. præcepto 9. c.4 dub.4. Nizna sum. t.105. Metina 1.2. qu.74. art.8. dub.4.* & *ibi Zumel. disp.4. dub.1. Valent. 1.2. disp.6. q.4. punct.4 Philiarc. de offic. sacerdot. t.1. p.2. l.4. c.18.* unde non sunt audiendi quidam Neoterici, qui teste *Cord. eodub. 13.* excusant similes actus a peccato lethali. Et ipse clare sentit esse probabile. Nam oppositam sent. solum vocat tutiorem, & forte veriorem. Nec alii Neoterici, qui teste *Zumel d. dub.1.* dicunt eam delectationem, non esse mortalem, quando non ex libidinis effectu procedit, sed ex alia justa causa, ut amoris sobolis habendæ.

6 Secunda conclusio. Delectatio appetitus sensitivi ex tactibus, aspectibus, & verbis cogitatis a sponsis de futuro, consurgens, si sit in casu quo illa sunt eis licita, juxta dicta disp. præced. n.47. & seq. non est mortalis. Quoniam est de objecto omnino licito, & respicit illud tanquam præsens, & in præsenti est eis licitum. Et intelligo, nisi sit periculum pollutionis, aut consensus in aliquod mortale. Erit tamen venialis: tanquam otiosa, & quæ necessitate, & pietate caret.

Ultima conclusio. Peccant lethaliter vidui admittentes delectationem veneream, & sensitivam, ortam ex copulæ habitæ tempore matrimonii cogitatione. Probatur rationibus adductis num.4. quæ pariter hanc conclusionem probant. Et illam videtur tenere, licet subobscure, nec satis mentem suam explicans *Petr. de Soto de inst. Sacerdotum, tract. de discrimine peccatorum, lect.9. ad fin.* Et tenent expresse *Nav. c.Si cui de pœnit. d.1. n.2.* & *seqq. Et summ. c.16. n.10. Cordub. in suo qu. l.1. q.23. dub.12. Lud. Lop. 1.p. instr. cap.75. §. Hinc perspicuum. Vasq. 1.2.q.74. ar.8. disp.114. n.3.* & *seqq. Phil. de offic. sacerd. t.1. p.2. l.4. c.18. Graffis, Manuel, Vega n.4. allegg.* & communiter Neoterici. 7

Ad argum. nu.2. proposita resp. Ad 1. dic non esse de objecto licito, Quia ea delectatio sensitiva cum præsenti commotione non respicit copulam tanquam præteritam, sed tanquam præsentem, quæ tunc est illicita: ut num.4. probavimus. Ad 2. dic, conjugibus licitam esse copulam præsentem, quam delectatio illa respicit: & ideo esse eis licitam. Secus contingere in sponsis de futuro. Ad 3. dic, aliquas esse res habentes deformitatem secundum eam rationem qua delectant, dum absens est conditio, ut sunt venereæ. Quia delectatio illa tendit ad concubitum præsentem. Quod in aliis rebus non contingit. Ad argumenta nu.3. propósita resp. Ad 1. jam est responsum. Ad 2. dic, plus esse approbare, quam delectari: si loquamur de delectatione complacentiæ, quæ est in voluntate. Et ideo n.1. dixi hanc esse licitam. Secus si loquamur de delectatione appetitus sensitivi. Ad 3. fateor differentias temporum minime variare speciem moralem. At illa delectatio non respicit copulam, ut præteritam, sed ut præsentem. Ad 4. constat ex dictis in solutione ad 3. ex argumentis num. 2. propositis, Quia ea judicis delectatio non est per se ordinata ad occisionem præsentem illicitam ut contingit in delectatione venerea. 8







# LIBER DECIMUS
# DE DIVORTIO.

## *Divisio totius Libri.*

CUM in superioribus disputaverimus de impedimentis matrimonii vinculum dirimentibus, ac de ejus effectu, nempe de obligatione debiti reddendi, & cohabitandi. Jam de dissolutione matrimonii quoad thorum, & cohabitationem, quæ divortium appellatur, differendum est. Et primo quidem agemus de divortio ratione adulterii, quando liceat, necne. Deinde, de divortio ratione aliorum criminum ut fornicationis spiritualis, qualis est hæresis, apostasia a fide, aut ratione inductionis ad peccatum. Et tandem de divortio ratione sævitiæ.

### DISPUTATIO I.

Utrum divortium quoad vinculum matrimonii, quod repudium vocant, fuerit ante legem Evangelicam Judæis, aut gentibus licitum? Et an post ejus promulgationem liceat?

### *SUMMARIUM.*

*Divortium unde dicatur, & quotupliciter usurpetur, & quid inter illud, & repudium differt, n.1.*
*Quotupliciter apud Romanos divortium celebrabatur, & qua forma, & quas ob causas, nu.2. & ibi, remissive de libello repudii apud Hebræos.*
*Quot distinguenda sint, 3.*
*Refertur triplex sententia circa libellum repudii, an olim licuerit Hebræis, n.4. 5. & 6.*
*Sententia auctoris, 7.*
*An inter Gentiles licuerit aliquando repudium, 8.*
*Post legem Evangelicam an liceat in aliquo eventu dissolvere matrimonium quoad vinculum, 9.*
*An Judæi, vel Gentiles nunc repudiantes uxores peccent, 10.*
*An conversi ad Christianismum ex Judæis gentilibusve, cogendi sint redire ad uxores infidelitatis tempore repudiatas, 11.*
*Qualiter imperatores Christiani repudia concedentes excusari possint. Et an Pontifex possit illa approbare, 12.*
*Solvuntur argumenta, 13.*

ANtequam disputationem aggrediamur præmittere oportet, unde dicatur divortium, & quotupliciter usurpetur, & quid inter illud repudiumque differt? Divortium, teste *Jurisconsul. l.2. de divortiis*, dicitur, vel a diversitate mentium: vel quia in diversas partes eunt, qui matrim. distrahunt. Dupliciter autem usurpatur. Primo, ut importat dissolutionem matrimonii quoad thorum, & cohabitationem. Et in hac acceptione communiter usurpatur apud Theologos. Secundo, ut importat dissolutionem etiam quoad vinculum. In qua acceptione utuntur hac voce Jurisconsulti; ut constat ex *toto tit. ff. de divortiis*. In hac ergo, & sequenti disputatione sermo erit de divortio, in hac posteriori acceptione: deinceps autem in priori. Distat autem inter divortium, quando dissolutionem vinculi matrimonii importet: & inter repudium, quod illud solius uxoris dicitur: hoc autem tum uxoris, etiam sponsæ de præsenti nondum cognitæ, *l.Inter stuprum, 91.* & *l.Inter divortium, 191. ff. de verb. sign.* 1

Tripliciter autem inter Romanos connubia dissolvebantur, teste *Rosino l.5. antiq. Romanorum, c.38.* & *Revardo comment.12. tabularum, c.19.* usurpatione, diffarreatione, & remancipatione. Usurpatione, quia mulieres in potestate parentum, aut tutorum erant: idcirco uxor nondum usucapta, ante annum a marito recedens, usurpabat, hoc est, a parentibus, aut eis deficientibus, a tutore, solemni quadam ratione apprehendebat, & viri potestate liberabatur, si ab eo trinoctium abfuisset. Diffarreatione, erat quippe quoddam sacrificii genus, quo inter conjuges fiebat dissolutio: sicque appellabatur, quia erat farreo libo adhibito. Remancipatione, quia quasi coemptione in matrimonio contrahendo, mulier in mariti manum tradebatur. Quo spectat illud *Terentii in Andr. Hanc mihi in manum dat*. Atque eadem mulier in repudio remancipabatur: hoc est, vir in cujus manum convenerat, manu ipsam parentibus, aut tutoribus reddebat. Ultra hos autem modos dissolvendi matrim. erat tertius, quem diremptionem appellabant, teste *Blando de Roma triumphante, lib.8. pag.2.* & 3. Distabat autem inter repudium, ac divortium ex una parte, ac diremptione ex altera. Quod illa uniuscujusque arbitrio & voluntate fiebat: hæc autem Principis arbitrium desiderabat. Divortii autem forma hæc erat, ut testatur *Jurisconsultus, 2. ff. de divortiis; Conditione tua non utor*, vel, *Res tuas tibi habeto*, vel, *Res tuas tibi agito*. Quod *Cicero* significavit *Orat.2. contra M.Antonium* agens de Mima ab ipso repudiata *Frugi factus est, Mimam illam suam suas sibi habere res dixit*: Hujus etiam meminit *Martialis*, sic dicens:

*Mense novo Jani, veterem Proculeja maritum*
*Deserit, atque jubet res sibi habere suas.*

& *Apulejus lib.5. Asini aurei*, sic ait dixisse Cupidinem lacessitum a Psiche, *Confestim thoro meo divertere, res tuas tibi habeto*. Alia etiam erat formula apud Cardienses, ut refert *Petr. Gregorius, Syntagmate juris p.2. l.9. c.5. fin.* solitierant sacerdotes mariti ædes adire, ubi uxore convenienti ignis accendebatur, qui si extinguebatur, antequam simul conjuges quadraginta annos vixissent, fiebat divortium, quod instar repudii erat. Indeque abjit in proverbium, *Pro repudio aquam igni injicere*. Causæ autem repudiandi uxorem numerantur *l.Consensu, C. de repudiis*. Inter eas autem annumerabatur, si Circensibus vel Theatralibus ludis: vel arenarum spectaculis, in illis locis, in quibus hæc alsolent celebrari, marito prohibente uxor interfuisset. Atque ita Sempronius Sophus uxorem repudiavit, nil aliud caulatus, quam se ignorante, eam ausam ludos spectare. Teste *Valerio Maximo l.6. c.5.* De forma autem servata in repudio apud Hebræos, & circa alia de repudii libello ipsis concesso, consulendi sunt *D.Th. & Doctores 4. dist.33.* & potissime *Abulens. c.19. Matth. qu.52.* & *multis seq.* Quæ consulto omitto, tanquam ad rem moralem præsentem parum conducentia.

Quæstio igitur in præsenti disputanda est. An aliquando licuerit divortium, seu repudium, quo matrimonii vinculum dissolvebatur, libero manente utroque conjuge, ut ad alias nuptias transiret? Et primo disputabimus de Hebræis ante legis Evangelicæ promulgationem. Deinde de Gentilibus: tandem de omnibus post legem dictam. 3

Circa Hebræos; an olim fuerit ipsis repudium permissum tanquam licitum, vel potius tanquam minus malum, ad majora præcavenda, quatuor sunt sententiæ. Prima utramque partem problematice tuetur, utriusque argumenta solvens, & neutrum definiens. Sic *D.Th. 4. d.33. q.2. ar.2. quæstiun. 2.* ubi *Sotus qu 3. Richardus ar 3. q.1.* 4

Secunda sententia docet repudium fuisse permissum, non tanquam licitum, sed tanquam minus malum ad vitanda majora. Achilles hujus sentent. est, id quod Christus servator noster Pharisæis dixit *Matth. 19. Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*. Secundo quia *cap. gaudemus, de divort.* dicitur Christum reprobasse repudium antiquum Hebræorum, non ergo fuerat licitum. Atque ita hanc sententiam tuentur *D. Hieronym. lib. 1. comment. in Matth. cap. 5.* & *lib.3. cap.19. gloss. ordin. super illud Matth.5. Det illi libellum. Et Lyra in eumdem locum. Idem Lyra in illud Matth.19. Quoniam Moyses. Et ibi replicatur contra 2. additionem Burgensis. Idem Lyra Deuter. 24. paulo post principium. Magister 4. d.33.* ubi *D.Bon. art.5. qu.1. Alensis 3. p. qu.46. memb.2. ar.1. 2.* & *3. Guill. Paris. tit. de Sacram. matrimonii, c.ult. Hugo Deut. 24. paulo post princ. Carthus. in illum locum Matth.19. Quoniam Moyses. Et ibi Gagnæus, Mayronis 4. d.35. qu.un. statim in princip. Sot. 4. d.33. q.2. ar.2. concl.2. Arboreus l.16. Theosophia, cap.2. Castro lib.2. de lege pœnali, cap.11. in 3. principali art. Viguer. lib. inst. c. 16. §.7. versic.9. impedimento 10. ad fin. Lud. Lop. 2.p. instr. de matrim. c.56. ad fin.* ubi de libello repudii *q.3.* Et ex Juriperitis, tenent *Gloss. c.cum in lege, v.Et odio, 23. q.4. Innoc. cap.Gaudemus, num.1. de divort.* ubi *Hostiens. super v. Qui autem. Card. nu.5. Alex. de Nevo ibi §.Qui autem, nu. 5. Arch. c.Qui peccat, num.2. vers. in 1. gloss.23. q.4.* & *ibi Bellamera n.16. versic. In 1.gloss. Tiraq. l.9. connubial. nu.5. Jo. a Monte Granario inter consilia Bald. consil.428. col.2.l.5. Robert. Cenalis*, quem refert & sequitur *Covar. 4. decret. 2. p. cap.7. §.4. n.4. Navar. lib.3. consiliorum, in 2.editione, tit. de conversione infidelium; consil.3. fin. Petr. Gregor. syntagmate juris, p.2. lib.9. c.16. n.1.* & *p.3. lib.22. c.3. n.20.* Et est valde probabilis.

Tertia sententia ait nec omnino licitum fuisse, nec omnino prohibitum, sed dispensatum esse a Deo, ne repudium illud culpam venialem excederet. Ita *Cajet. in illud Matth.19 Quoniam Moyses,* & *ibi Avendanno*. Quo autem fundamento ducantur, me prorsus latet. Nam cum uxoris repudium sit res gravissima, aut debet esse culpa lethalis, aut nulla ratione dispensari. Dicere autem Deum dispensasse forum, ne esset culpa lethalis, ad libitum est. Cum nec ex sacris litteris, nec ex Sanctorum doctrina id constet: nec ratio id suadeat. Immo semper dispensatio legitima ab omni culpa excusat: vel si legitima non sit, a nulla. 6

Quarta sententia (cui tanquam multo probabiliori adhæreo) ait repudium fuisse licitum Hebræis, Deo dispensante in lege naturali, cui repudium adversabatur. Ducor primo. Quoniam 7